hic etiam legitis. Nec pacis ſtudium minor haberi virtus debet, aut juſtitia, propria quoq; plerorumque qui hic leguntur elogia. Sed anguſtior eſt hujus alloquii modus, quam ut quæ in compendium redacta ſequentes pagellę exhibent, arctius adhuc contracta capere poſſit: & ad illa me referre malo, quæ in ipſa συνόψεσι potius indice digito oſtendimus, quam depinximus, ſingulorum decora. Si ergo imaginibus majorum fumoſis & jam dimidiis in atrio calcar, quo ad virtutem poſteri incitentur, ineſſe antiqui, nec vani rerum æſtimatores, credidere, ſtimulum haud dubie efficaciorem ipſis virtutibus, quas hiſtoria prædicat atque commendat, inhærere dixerim. Illos Doctores autem & eorum exempla, ut non muti vel hæc emortua videri, adeoque minus movere debeant, alius quem domi habetis Doctor quotidie animat, & hæc in vita ſua ita expreſſa repræſentat, ut in illum reſpicientes, quæ hic in pluribus laudamus, in uno deprehendatis; quæ vero in illo reſpicere oporteat, in his plurium elogiis ſigillatim notata legere valeatis. Eſt is Sereniſſimus Pater veſter, Princeps & Dominus meus Clementiſſimus: cujus laudibus pro dignitate enarrandis, (panegyriſtæ hoc argumentum eſſet) noſtra lingua, calamusq; impar eſt;